

ita eiusmodi causam definiuit, vt, si quidem libertus vel liberta minores centenariis sint, id est, minus centum aureis habeant substantiam (sic enim Legis Papiae summam interpretati sumus, vt pro mille sestertiis unus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successione. Qua ratione igitur Iustinianus cum Tacito conciliandus, variae sunt variorum opiniones. *BVAEVS de Assē. 2.* textum Institutionum corruptum, et pro *mille*, legendum esse autumat *centum sestertiis*. *CVIACIVS* vero *L.XIX.* *Obs. 31.* per centenos nummos apud Tacitum intelligenda esse censet centena sestertia, non centenos sestertios, atque ita locum illum cum computatione Iustiniani apprime conuenire. Sestertiorum enim duas species olim fuisse communis opinio est, sestertium virili genere pronuntiatum nummum fuisse aeneum duorum assium et semis, sestertium autem neutrius generis monetam argenteam duarum librarum cum semisse et centum sestertiis minutis seu masculini generis valuisse. Verum Budaei coniectura nuda possilitas est, nec vlla probabili ratione suffulcitur, doctrina vero, quam sequitur Cuiacius de diuersis sestertiorum speciebus, falsa omnino, et a Hotto-manno loc. cit. dudum explosa. Rectius igitur *VINNIUS* ad *dict. §. 3. I.* nec non modo laudatus *HOTTO MANNVS loc. cit.* opinantur Imperatorem in *§. 3. I. Success. Libert.* legem Papiam Poppaeam non interpretari aut aureum mille sestertiis aestimare, sed dictam legem corrigere ita, vt cum secundum eam, qui centum millia sestertionum seu mille aureos in aere habeat, demum pro locuplete liberto habeatur, nunc cum Imperatoris aetate multo minores essent hominum facultates et vix reperirentur liberti, qui tantum patrimonium relinquenter, pro locupletibus habendos etiam voluit eos, qui centum tantum aureos in bonis haberent atque sic loco centum millium sestertiorum h. e. mille aureorum, quae habentur in lege Papia Poppaea centum aureos seu mille sestertios substituit. Quae sane interpretatio et proprietati verborum maxime conuenit et *§phum 3. I. de Succēss. Libert.* cum locis ex Tacito atque Suetonio citatis eleganter conciliat omnemque dubitationem tollit.

XIII.

Alioquin si quis damnatus digito habuerit aut Sardonicha.

Sardonyx vel Sardonychus gemma est ex duorum nominum societate